Cod. Vindob. lat. 3301 fol. 288r:

S. In omnium salvatore filio virginis benedicte diveque theothocos. Cum nuper optime frater in cella delitescerem. variosque inter cogitandi turbines in mente versarer ut ociositatem (que inimica est anime) utrumque perpulsarem subito in mentem venit ut (hac?) hoc parsimonie tempore quidpiam carmine luderem. Quoniam vero Christicolarum scolipetas canticinium Salve Jam Jam sepissime prospectare perdidici decrevi idem sacratissimum mellifluumque melos in carmen redigere. meoque Joanni carissimo Veiol. omnis laboris angustieque in latrocinancium bohemorum laribus conparticipi dedicare. Id tibi mihi eque caro gratoque transmitto quod lege. fratrique Jeronimo tuo legendum exhibe Et siqua ex me velis mihi quidem possibilibus Jube manda precipe nil vereare quo medio te diligam observiamque te non lese crediderim. Tu vale et ut facias nos ama quia te diligo. Cartulas tuas tibi presencium cum latore represento.

¶ Salve regina o sanctissima virgo Maria
Dulcis spes vite. regia mater ave
Ad te clamantes gemitus vel ad ethera nostros
Tollimus. eva prius quos dedit exilio
Valle sub hac flentes lacrimarum fundimus imbres
Singultusque pios pectora nostra cient.
Eya interventrix ad nos rogo dirige ocellos
Tuos miseris promptos pagina cuncta docet
Et Jesum post exilium hoc ostende serenum
Ille tuo fructus qui benedictus adest
O clemens. pia sponsa dei. genitrixque tonantis
Sedulo pro nobis posito filiolum.